Davidis Ruhnkenii

Annotationis in Terentium emendatius edendae Specimen

Ad indicandum explorationes scholasticas, (d. 15 & 22 April.)
orationes abiturientium, (d. 16 April.)
et actum oratorium, (d. 23 April.)

edidit

Jo. Gurlitt, D.

Hamburgi, ex officina typographica Schniebesia, 1817.

D. Ruhnkenii Dictata in Terentium. *)

Andria.

Fabula inscribitur *Andria.* Andriae nomen huic comoediae inditum est a puella Glycerium, cuius in hac fabula praecipuae partes sunt. Vid. Stephan. Byzantius v. Ανδρος.

acta. Agere comoediam proprie dicuntur histriones, qui eam in scena exhibent, qui etiam actores vocantur. In prol. Heautont. v. 5. *hodie sum acturus heautontimorumenon.* V. Drakenb. ad Liv. Epit. 56 et 56.

Ludis megalensibus. Hi ludi instituti sunt in honorem Cybeles, quae graece μεγαλη μητηρ, latine Dea magna vocabatur. V. Ovid. Fast. 4, 193. A voce

*) Quum nuper *Heinrichius,* Philologus de academia Kiliensi omninoque de literis optime meritus, et amicitiae et literarum caussa mihi a multis annis coniunctissimus, in itinere in academias quasdam Germaniae faciendo Hamburgum transiens hospitio meo per aliquot dies uteretur, inter multos variosque sermones de communibus literis habitos mentionem etiam feci libelli, inter κειμηλια a me servati, qui *Davidis Ruhnkenii annotationem in Terentium* continet, ab *Jo. Philippo Beckmano*, J. D. et Capituli Hamburgensis Secretario, iam vita defuncto, quum olim Leidae literarum caussa commoraretur, ex ore summi illius Philologi calamo exceptam. Tum Heinrichius, *videamus,* inquit, *utrum haec annotatio eadem sit, quae illa eiusdem viri a Brunsio edita, an ab hac aliquantum sit diversa;* et simul, (erat enim sermo iam ultra noctem mediam productus) libello utroque arrepto in cubiculum, ut videbatur, cubiturus abit. At ille quod supererat noctis in conferenda utriusque libelli annotatione, in prologum et in magnam primae scenae partem Andriae dictata, impendere atque statim, meo exemplo duce, Brunsianum, quod erat olim Lenzii, Gothani, quibusdam locis mancum et vitiis, etiam operarum typographicarum, scatens corrigere per totum illum, quem dixi, locum et supplere. Tum mane redit ad me et lucubratiunculam suam mihi ostendit. Ego vero hanc oculis perlustrans mirari, multo plura esse editionis illius Corrigenda et Addenda, quam quae a Brunsio in fine utriusque Tomi essent notata, (quae et ipsa tamen numerum ducenarium

μεγαλη formatum est *Megalensia*, vel *Megalesia*, ut promiscue scribi docuit Dukerus ad Liv. 34, 54. Semper autem Latini dicunt, *Ludi Megalensia*, ut *Ludi Olympia*, *Ludi Pythia*, *Ludi Cerealia*, nunquam vel certe rarissime Ludi Megalenses. V. Quinctil. 1, 5, 2. p. 32 Gesn. (qui ait haec faciem soloecismi habere, ut *Tragoedia Thyestes*, dici tamen vitiosa non posse. G.)

aedilib. curulibus] ad aedilium curam etiam ludi solennes pertinebant. Scenici ludi si edendi essent, aediles fabulas emebant a poëtis. v. prol. Eunuchi v. 20. In huius et sequentium fabularum didascaliis bini aediles ludos edidisse dicuntur. Caesar et separatim et cum collega edidit, ut auctor est Sueton. in eius vita c. 10.

modos fecit] h. e. leges musicas praescripsit, quas tibicen in cantando, actor in agendo observaret, quae quales fuerint, explicat illustris Bentleius in schediasm. de metr. Terent. Modi proprie dicuntur in Musicis. Cic. de

---

propemodum attingunt) atque annotationem illam denuo emendatius edendam esse confiteri. Quod quamquam Heinrichius se facturum illico promittebat, veniam tamen mihi amicum humanissimum daturum spero, quod specimen editionis repetendae, a se maximam partem lucubratum, praemittam, quum valetudine infesta a dissertatione meo Marte elaboranda et ad proludendum sollennitatibus scholasticis edenda prohibear. Complectitur hoc specimen annotata ad prologum et ad scenam primam actus primi Andriae cum illis ad scenas tres priores actus secundi Heautontimorumeni usque ad v. 81, quae quum in apographo Lenziano deficerent, etiam in Brunsiana aditione desunt. — Ceterum quid censores nostri literarii in Commentariis de libris novis vel de his Ruhnkenii annotatis, vel de eorum editione Brunsiana iudicaverint, equidem non memini. Hoc tamen mihi constare videtur, illa multa ad elegantiorem latinitatis scientiam continere, iuvenibus utilissima; quamquam non ignorem, ex Donato aliisque interpretibus non pauca esse petita. Tironibus se veterem scriptorem interpretari in scholis, non veteranis, Ruhnkenius semper meminisse videtur. Quare viribus suis summus vir in illis scholis recte pepercit, ut iam *Frid. Aug Wolfius* de dictatis illius in Suetonium, a se perlustratis, in praefatione suae huius scriptoris editioni praemissa monuit. — Denique notandum, ne ullum quidem vitiorum a nobis sublatorum in Corrigendis, a Brunsio ad calcem editionis adiectis, reperiri. *Gurlitt.*

Orat. 3, 26 *neque id actores prius viderunt, quam illi qui fecerunt modos.* Tusc. quaest. 1, 44 *pressi et flebiles modi.*

tibiis paribus dextr. et sin.] de his tibiis multi multa scripserunt. Scaliger, cuius nota prodita est in Anthol. Lat. Tom. 1, p. 183 sqq., fatetur, se nihil incertius legisse, quam quae de his tibiis tradantur.

tota graeca] Ita est: quamvis fabula scripta sit latine, tamen expressit mores Graecorum; et inde Terentii et Plauti fabulae fere omnes dicuntur palliatae, quum Graeci a Romanis dicebantur homines palliati.

Prologus.

v. 1 *animum ad scribendum appulit*] h. e. scribendi consilium cepit. Andr. Act. 2, sc. 6. v. 15 *animum ad uxorem appulit.* Alibi dicit animum ad aliquid adiungere, adplicare, adiicere, adducere.

2. *id sibi negotii*] h. e. id solum sibi curandum credidit, vel, ut Sueton. in Caes. c. 23 loquitur, *in magno negotio habuit.*

3. *placerent*] *Placere* proprium verbum est scenae et ludorum, quum populus favet plauditque. Cic. in Bruto c. 84 *at placere tamen et in scena esse Roscium intelligat.* Horat Carm. 4, 3. fin. *Romanae fidicen lyrae quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.* Sueton. in Nerone c. 42 *cuidam scenico placenti nuntium misit.* Sic saepe in inscriptionibus antiquis: cantavit, saltavit et *placuit* v. P. Victorii var. lectt. 37, 8.

fabulas] Terentius graeco more posuit pro *fabulae.* V. 26 *posthac quas faciet de integro comoedias;* in Eunuch. 4, 3, 11 *eunuchum quem dedisti nobis, quantas dedit turbas.* Ovid Metamorph. 14, 350 cecidere manu, quas legerat herbas v. Perizon. ad Sanctii Minerv. 2, 9. not. 1. Bentl. ad Heautont. 4, 4, 1.

5. *operam abutitur*] h. e. operam impendit et consumit. Abuti saepe etiam in bonam partem dicitur, ita tamen, ut plus sit quam uti. V. Gronov. in Cic. ad Divers. 9, 6. et Davis. ad Cicer. de nat. Deor. 2, 60. Verba autem *uti, abuti, frui* et similia cum accusat. iunguntur apud antiquos. V. Sanct. Minerv. 3, 3. p. 296.

6. *qui*] bene Donatus *qui* accipit pro *ut.* Liv. 26, 6. mittit ad *Neronem, qui in posterum diem colloquium differret.* V. intpp. ad Liv. 1, 43.

7. *veteris poetae*] *vetus* hic in vituperationem ponitur de poeta veternoso, in quo vis ingenii defecerat. V. Donat. ad Eunuch. 4, 4, 21. Poeta, qui perstringitur, est Luscius Lanuvinus.

8. *vitio dent*] i. e. culpent, vituperent. In Adelph. 3, 3, 64 *hoc vitio datur.* Sic etiam dicitur *crimini dare* pro tanquam crimen obiicere. Liv. 7, 4. *criminique ei tribunus inter cetera dabat*, ubi v. intpp.

animum advertite] dicitur pro *animadvertite*, quae contracta forma frequentior est. In Eun. 3, 1, 7. *adverti Hercle animum.* Rutilius Lupus L. 2, p. 77. *diversa studia adolescentium animum adverteramus*, ubi v. quae notavimus. Interdum omissa voce *animum*, eodem sensu dicitur *advertere.* Liv. 44, 43. *quam sine causa delectam esse regiam advertit.* v. Drakenb. ad 6, 2.

11. *ita*] tanquam augendi particula ponitur pro *valde, admodum.* Nepos in Pelopida c. 2. *magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae.* Liv. 4, 12 *haud ita multum frumenti advectum est*, ubi v. Drakenborch. Praeterea in his verbis *quidem* per ellipsin omittitur; cui respondet *sed tamen.* Liv. 7, 30. *Non loquor apud recusantem iusta bella populum, sed tamen.* — ubi v. intpp.

12. *oratione ac stilo*] Donatus orationem in sensu, stilum in verbis explicat. Graeci orationem διάνοιαν vocant, stilum λέξιν. sed cl. Heusingerus ad Nep. fragmenta Mallio Theodoro de metris subiecta p. 150 orationem accipit de scribendi facultate ac forma, ut hic oratio et stilus. Sic in Phorm. prol. v. 4 iunguntur oratio et scriptura.

13. *quae convenere*] h. e. quae commoda, quae apta fuerunt. In Andr. 4, 2, 13. *hanc mihi expetivi; contigit: conveniunt mores.* v. Ovid. Epist. 5, 77. *nunc tibi conveniunt.* ubi v. Heins.

15. *isti*] hoc pronomine fere odium et contemtus exprimitur. mox v. 21 *istorum obscuram diligentiam.* Eun. 1, 2, 112 *cum milite isto praesens absens ut sies.* Apud Ovid. Metamorph. L. 13. Aiax, quoties de Ulysse loquitur, hoc pronomine utitur. Vid. Bentlei. ad Ad. 1, 1, 18. Contra *ille* plerumque in laudem dicitur. vid. Drakenborch. ad. Sil. Ital. 3, 181.

in eo disputant] h. e. de ea re sermonem serunt, de ea re multum loquuntur. Cic. ad Div. 3, 8. *iam non tam mihi videntur iniuriam facere illi, si qui haec disputant, quam si cuius aures ad hanc disputationem patent.* Disputare

apud veteres non est contendere verbis cum aliquo; ut nunc in ore est omnium, sed disserere sine ulla contentione, sive sermonem habere de aliqua re. v. Graev. ad Cic. de Off. 3, 3. Rarior est structura *disputare in aliqua re*, usitatior vero est *disputare rem*, *de re* vel *ad rem*, ut est apud Cic. Tusc. Quaest. 3, 9. et Lactant. 6, 22.

16. *contaminari*] hoc verbum vulgo inepte ducunt a graeco *) τενδω, quum derivandum sit ab antiquo *tago*, pro quo posterior aetas dixit *tango*, ut pro *clago*, *clango*; *frago*, *frango*; *pago*, *pango*. A *tago* analogice formatur *tagimen*, contracte *tamen*, unde *tamino*. *Contamino* igitur prima et nativa significatione dicitur pro *tango*, *contrecto*, *misceo*; sed quoniam miscendo saepe aliquid corrumpitur et polluitur, etiam corrumpendi et foedandi potestatem accepit. Contaminari fabulae dicuntur, cum sic commiscentur, ut ex pluribus fiat una. In Heautont. prol. v. 17. *multas contaminasse graecas, dum facit paucas lat.* Hoc verbum explicat Burmann. ad Phaedr. 3, 11, 5. sed accuratius et distinctius Gesnerus in Commentar. academ. Goetting. T. 3, p. 252.

17. *faciunt nae intelligendo ut nihil intelligant*] h. e. profecto, dum valde intelligentes et sapientes videri volunt, ostendunt, se nihil intelligere; sed veteres quidam Grammatici apud Donatum et magnus Bentlejus *ne* sine diphthongo scribunt et locum cum interrogatione proferunt, quae interrogatio habet vim vehementer negandi; et haec ratio praeferenda videtur. Ceterum Terentius hoc οξυμωρον expressit ex Menandro; in cujus fragm. pag. 36 est ματαιος εστι και φρονειν ουδεν φρονειν. Simile illud in Eun. 1, 1, 18. *ut cum ratione insanias.* v. Bernard. Martinum var. lect. 3, 10.

19. *auctores*] Auctores sunt, qui exemplum rei faciendae dant, qui quid facere praecipiunt exemplo suo. Sic Academic. 4, 2. *nec litterarum graecar., nec philosophiae jam ullum auctorem requirunt*, scil. quum Africanum et Catonem habeant, qui didicerunt. Hor. Serm. 1, 4, 122. *habes auctorem, quo facias hoc.* v. interpretes ad Liv. 2, 56. Paullum diverso sensu Livius 22, 7. *Fabium hujusce belli potissimum auctorem habuit.*

*) In apographo meo est τεgνω, quod haud dubie esse debet τεμνω: quamquam qui vel a τενδω, vel a τεμνω deduxerint, nescio. Voss. certe in Etym. et Becman. in origg. L. L. inepte deducunt ab hebr. טמא, impurus, vel דמן fimus, sterquilinium. G.

20. *exoptat*] propria significatione dicitur pro *eligit*. Cic. de offic. 1, 32. *quae majori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant.* v Serv. ad Aeneid. 1, 76. et Donat. ad Andr. 4, 5, 2.

negligentiam] negligere et negligentia non semper sunt vitiosa, sed de iis etiam dicuntur, quae scientes et consulto praetermittimus. in Prol. Ad. v. 14. *an locum reprehensum qui praeteritus neglegentia est.*

22. *quiescant*] h. e. nullas turbas moveant. Liv. 4, 49. *malum quidem militibus meis, nisi quieverint.* Ita *inquietus* est *seditiosus*. Liv. 3, 43. *inquietum hominem et tribunatum etiam nunc spirantem.* v. interpretes ad Liv. 45, 37.

moneo] hoc verbum comminandi vim habere, Donatus observat in Eun. prol. 16. *is ne erret moneo et desinat lacessere.*

24. *favete*] benevolentiae in sacris signum erat silentium. Inde veteres *favere* pro *silere* dixerunt. Seneca de vita beata cap. 26. Festus in v. favere. Par ratio est graeci verbi εὐφημεῖν. De formulis, animo, mente, ore, linguis favere, v. interpretes ad Sil. Ital. 16, 295.

aequo animo] i. e. a quo absit studium partium. In Phorm. prol. 31. *date operam, adeste aequo animo per silentium.*

rem cognoscite] videlicet tanquam judices. Judex enim, qui litem examinat, proprie dicitur *rem cognoscere*. Justin. 2, 10. *certamen concordi animo ad Artaphernem veluti ad domesticum judicem deferunt, qui domi cognita causa Xerxem praeposuit.*

26. *de integro*] h. e. denuo, pro quo apud Sueton. in Aug. c. 31. est *ex integro*. Barbare et inquinate loquentes *de novo* dicere solent.

27. *exigendae*] *exigi* fabula proprie dicitur, cum repudiatur, improbatur, cum spectatores strepitu pedum significant eam sibi displicere; unde etiam proprium hac in re verbum *explodere*. In Hec. prol. 4. *novas qui exactas feci ut inveterascerent.* Ipse actor etiam *exigi* dicitur in eod. prol. 7.

prius] dura est ratio Perizonii ad Sanctii Minerv. 4, 11. pag. 721. *prius* ad *pernoscatis* per synchysin referentis. *Prius* h. l. significat *potius, magis*, ut in nota formula, *nihil prius et antiquius habere*. In Eun. 1, 1, 5. *siquidem possis nihil prius neque fortius.* v. Graev. et Duker. ad Flor. 1, 16. pag. 144 edit. Lugd. Batav. 1721.

Act. I. Scen. 1.

1. *vos isthaec intro auferte*] i. e. vos isthaec inferte et in domum meam importate. Cic. pro Roscio Amer. c. 8. *multa palam domum suam auferentis.* v. Pearce ad Cic. de orat. 2, 66. Intelligenda vero esse opsonia vel olera, planum est e verbo *curare* v. 3. quod proprium esse culinae Donatus ait. Plaut. in Persa 1, 3, 5. *curate istic vos atque properate ocius;* in Mercat. 3, 3, 21. *quin ergo imus atque opsonium curamus.*

2. *paucis te volo*] plena oratio est: *paucis verbis te adloqui volo.*

dictum puta] h. e. intelligo quod velis, licet jam nihil dicas; atque adeo puta, te dixisse. Similiter Ovid. Metam. 4, 476. *facta puta.*

3. *immo*] adversandi et corrigendi vim habet in Eun. 3, 5, 60. *immo apud libertum Discum.*

4. *ars*] ars hic dicitur scientia loquendi, sed late patet hoc nomen et in utramque partem significat omnem dexteritatem et sollertiam aptam ad aliquid perficiendum; itaque virtutes etiam artes dicuntur, ut apud Sallust. Catil. c. 2. *imperium facile his artibus retinetur, quibus initio factum,* ubi v. Cortium.

6. *in te intellexi sitas*] h. e. intellexi in te esse; in Ad. 3, 4, 9. *in te spes omnis nobis sita est,* in Phorm. 3, 1, 6. *cujus nunc miserae spes opesque sunt in te uno omnes sitae.*

8. *a parvulo*] scilicet puero, h. e. a prima aetate; in Ad. 1, 1, 23. *eduxi a parvulo,* pro quo *a pueris* dicit in Heaut. 2, 1, 2. Si de uno sermo est, *a parvulo* et *a puero,* si de pluribus, *a parvulis* et *a pueris.* Graeci similiter ἐκ παιδὸς et ἐκ παίδων. Veteres vero saepe *parvulos* dixere pro *infantibus* et *puerulis.* v. Graev. ad Flor. 4, 2. p. 713.

9. *justa servitus*] i. e. tolerabilis, non dura. Cic. ad Div. 1, 4. *acerbum habuimus Curionem, Bibulum multo iustiorem.* Curtius 4, 10. *tam iustus hostis, tam misericors victor.* Contra *iniustus* est durus, gravis. Virgil. Ecl. 3, 33. *iniusta noverca.* Ovid. Metam. 4, 670. *iniustus jusserat Ammon.* Justin. 11, 1. *iniusta servitute oppressi,* et sic *iniustitia* pro *duritie* dicitur Heaut. 1, 1, 82. v. Gronov. ad Quinctilian. declamat. 3, 16.

10. *e servo esses libertus*] h. e. cum ante servus esses. Virgil. Aen. 10, 221. *numen habere maris nymphasque e navibus esse.* Manil. 4, 46. *ex exsule consul.* v. Oudendorp ad Lucan. 4, 719.

11. *liberaliter*] h. e. quasi liber et ingenuus esses, non, ut alii servi, metu ad officia compellebaris. Liberale dicitur quicquid liberum hominem decet, unde liberales artes quae homines ingenuos decent. In Eun. 3, 2, 20. *facies liberalis.* Adelph. 5, 5, 5. *servum haud illiberalem praebes te.* Jam quia largitas maxime decet liberalem hominem, *liberalis* etiam pro *largo* dici coepit.

12. *pretium*] i. e. praemium, mercedem. Liv. 24, 15. *capita hostium pretia libertati facta.* Phaedr. 1, 8, 1. *qui pretium meriti ab improbis desiderat.* Justin. 1, 7. *caedes Camdauli nuptiarum pretium fuit.* v. Gronov. observ. 2, 25. et Heins. ad Ovid. Ep. 6, 146.

13. *haud muto factum*] i. e. non poenitet factum, quod factum est, infectum esse nolim. Plaut. in Bacchid. 5, 2, 34 *ego quod dixi haud mutabo.* Brutus Ciceroni ep. 4. *illud non muto.* Horat. de arte poet. v. 168. *commisisse cavet quod mox mutare laboret.* v. Lambin. ad Horat. Epist. 1, 2, 62. Bentleius sic interpungit *haud muto. Factum gaudeo*, sed res eodem redit. v. Observat. miscellan. 3., p. 390.

15. *gratum fuisse adversum te*] Rariore loquendi formula dicitur pro *gratum fuisse tibi.* Praepositio *contra* semper nocendi voluntatem ostendit, *adversus* interdum est sine contraria, vel etiam cum bona voluntate, ut eleganter docet Manutius in Cicer. ad Div. 9, 22. Hinc saepe dicitur *aequitas adversus aliquem, ius amicitiae adversus aliquem.* v. Drakenb. ad Liv. 5, 35. et 29, 8.

17. *immemoris benefici*] Bentleius aliique verissime legunt *immemori benefici.* Non enim beneficium immemor est, quod absurdum, sed homo ingratus immemor est beneficii. Casus, quem verbum *exprobrare* regit, iungitur nomini verbali *exprobratio*, ut saepe apud veteres. Plautus in Amphitr. 1, 3, 25 *quid tibi hanc curatio est rem?* Caesar de bello Gall. 1, 5 *domum reditionis spe sublata.* Liv. 23, 35 *ne qua exprobratio cuiquam veteris fortunae discordiam inter ordines sereret.* ubi v. Gronov. Adde Oudendorpium ad Caes. B. G. 5, 48. — Modo diximus etiam legendum esse *benefici*, non vero *beneficii.* Nam veteres in nominibus substantivis, quae in *ius* et *ium*

exirent, semper genitivum *i* simplici efferebant. Id quum ex Nigidio Figulo apud Gell. 13, 25, tum ex metri rationibus primus egregie demonstravit Bentl. ad Andr. 2, 1, 20. Cuius rei mutatio demum facta est sub Augusti senescentis aetatem; itaque geminum *i* iam frequentavit Ovidius. *)

20. *Quas*] h. e. quales. In Eun. 2, 2, 42. *quid videtur hoc tibi mancipium?* Virg. Aen. 4, 47. *quam urbem, soror, hanc cernes, quae surgere regna;* ubi v. Servium.

22. *consilium* h. e. animum, vel propositum. In Hecyr. 3, 5, 44. *non est consilium pater.* Plaut. in Mil. 2, 3, 73. *consilium est, ita facere.* Sallust. in Catil. c. 4 *non fuit consilinm socordia atque desidia bonum otium conterere;* ubi v. Cortium.

24. *nam* eleganter inservit transitioni et connectendae orationi. Exempla sunt apud Manut. ad Cic. ad div. 3, 11. 5, 20. Gronov. ad Liv. 29, 8 et Duker. ad Florum in prooemio p. 4.

excessit ex ephebis h. e. excessit annum vicesimum; quod intelligendum ex moribus Atheniensium, apud quos *ephebi* erant adolescentes octodecim

*) Ex Bentl. l. c. sua hausit Brunck. praefat. ad Virg. p. 5. 6. cf. Quintil. 1, 5, 23. Hac observatione ductus Brunck. versum ex Virg. A. 9, 151. recte eiecit. Monuit etiam nuper de hac re Wolf. ad interpretationem suam germanicam sat. 1 Horat. p. 11. Tironum caussa addere liceat, illam regulam complecti tantum substantiva et nomina propria in *ius* et *ium* exeuntia, non item adiectiva, quae etiam apud antiquiores Ovidio et Propertio genitivum in *ii* terminatum habent. Quare nec Ennii versu, *Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit*, versus Virgili, a Brunckio eiectus, defendi potest, quia *Tarquinii* hic adiectivum esse postest, ut Wolfius monuit. Propertius et Ovidius primi utraque Genitivi forma et extensa *ii*, et contracta *i* in substantivis usi sunt, Propertius tamen rarius extensa, (Bentleius ait, bis vel ter) Ovidius saepissime. Ceterum ap. Hor. sat. 1, 4, 70. Bentleius in edit. prima *Caprii* intactum relinquere maluerat, non propter primam sillabam brevem, quum sciret, si *Cappri* pronuntietur, hanc difficultatem tolli, sed propter codd. suorum in scriptura Caprii consensum et quia ipsi, quum Horatium primum ederet, de illa regula nondum constaret. Sed in tertia Horatii editione errorem suum paucis verbis notando lectorem ad Terentii a se editi locum supra laudatum amandavit. *Gurlitt.*

annorum, qui referebantur inter circuitores vel eos, qui regionem Atticam armati circumirent; ubi biennium inter circuitores fuissent, excedebant ex ephebis et extra Atticam militabant. *) Rem accurate explicat Pollux (qui dicitur *Colpus* in Brunsiana edit.)

liberius vivendi] *Libere vivere* dicitur, qui parum continenter et modeste vivit in licentiam, pro lubitu. Sed comparativus h. l. significationem minuit, ut *liberius vivere* sit paullo maiore libertate in vita agenda uti, quam ante solitus esses. Ovid. Fast. 3, 778. de omnibus adolescentibus, qui togam virilem sumpsissent, *sumitur et vitae liberioris iter.* De ea vi comparativi v. Voss. de analog. ling. 2, 23.

27. *Prohibere* est verbum disciplinae, qua adolescentes in officio continentur. V. Burmann ad Calpurn. Ecl. 4, 20. *Magister* est praefectus epheborum, apud quem exercebantur et servera disciplina continebantur.

28. *plerique omnes,* h. e. fere omnes, maior pars. Haec vocabula saepe iunguntur. In Phorm. 1, 3, 20. *plerique ingenio sumus omnes.* Caes. B. G. 1, 30. *plerisque omnibus Gallis brevitas nostra contemtui est*, ubi v. intpp. Sic apud Hirt. de bello Afric. c. 63. iunguntur *omnes reliqui alii.* Apud Graecos frequens πλειονες παντες est. v. Bosii Ind. Nepotis v. plerique.

29. *studium*] studium dicitur, in quo quis versatur et quo delectatur. Hec. 4, 2, 18. 19. *satietas tenit studiorum istorum.* Cic. pro Cael. c. 19. *relinquenda studia delectationis ludus, iocus, convivium.* De studiis adolescentum Atticorum *v. Lindenbr.* ad h. l. et Sam. Petitum ad leg. Attic. p. 239.

equos alere] infinitivus *alere* pendet a voce studium et graeco more ponitur pro gerundio alendi. Verba *aut ad philosophos* pendent a verbis *animum adiungant.*

30. *canes ad venandum*, i. e. canes venaticos. Praepositio *ad* saepe significat *ministerium.* Propert. 4, 9, 11. *Lygdamus ad cyathos*, i. e. pincerna.

---

*) Ephebi illi circuitores graece dicuntur περίπολοι, dux eorum περιπολάρχης, et castella Atticae, in quae praesidia ex iis, si opus erat, mittebantur, dicuntur περιπόλια. Horum omnium frequens mentio apud Thucydidem, ut 3, 99. 4, 67. 6, 45. 7, 48. 8, 92. v. ibi Schol. et interpretes.
Gurlitt.

Virgil. Aen. 10, 253. *ad frena leones.* Liv. 22, 19. *miles ad naves,* i. e. miles classiarius. ubi v. Gron. 34, 6. *servi ad remum,* i. e. servi remiges, ubi v. Duker. Add. Gronov. de pecunia veter. 1, 7, p. 35.

31. *egregie*] i. e. vehementer, valde, ut in 1, 5, 39. *quam ego animo egregie curam pro uxore habuerim.*

praeter cetera] i. e. prae ceteris, plus quam cetera. In hac scena v. 93. *forma praeter ceteras honesta.* Plaut. Amphitr. 2, 2, 8. *quem ego amo praeter omnes.* Justin. 21, 6. *vir sollertia facundiaque praeter ceteros insignis.*

32. *studebat*] i. e. operam dabat. Studere cum accusativo etiam construitur in Hec. 2, 2, 20. Cic. Phil. 6, 7 *unum sentitis omnes, unum studetis.*

33. *non inuria*] i. e. non sine ratione, immerito. In Eun. 3, 1, 43 *metuebant omnes iam me non iniuria.*

34. *ne quid nimis*] Expressit graecum μηδὲν ἄγαν, quod dictum, ab aliquo sapiente prolatum, deinde proverbii vim accepit, indicatque modum in omnibus rebus optimum esse. v. Erasmi adagia tit. modestia.

35. *perferre ac pati*] Saepe etiam a Cicerone et aliis usurpatur *perfero et patior, patior et fero, perpetior et perfero.* Caes. B. G. 7, 30. *ut omnia, quae imperarentur, sibi patienda et perferenda existimarent,* ubi v. Oudendorp. Infinitivus pro imperfecto *perferebat ac patiebatur,* ut infra v. 70. in Eun. 3, 3, 9.

36. *cum quibus erat cunque*] per tmesin dicitur pro *cum quibuscunque erat.* 1, 5, 28. *quae meo cunque animo libitum est facere.*

iis se dedere] i. e. his obsequi, facere omnia, quae his grata sunt. Locutio ducta ab iis, qui se in hostium protestatem dedunt et proprie *dediti* dicuntur. v. Donat. ad h. l. Bentlei. ad Hor. Carm. 3, 5, 33. In Eun. 5, 72 *ut Thaidi me dedam et faciam quod iubeat*; in Heaut. 4, 3, 3. *dedo patri me nunc iam.* Quint. Cic. de petit. consulat. c. 1 *illi se dediderunt — desererunt ceteros.* Eodem sensu dicuntur se dare, se praebere alicui. v. Jo. Schulting. ad Senecae Controvers. 1, p. 69.

39. *invenire* elegantissime ponitur pro acquirere, consequi, adipisci, ut apud Graecos εὑρίσκειν. In Heaut. 4, 7, 13 labore inventa meo quidem bona. Just. 12, 8 quum veniam ab hoste invenissent, ubi v. Graevium.

obsequium] Quintilianus 8, 3. p. 375, eumque secutus Donatus dicunt Ciceronem existimasse primum a Terentio dictum esse nomen *obsequium*. Sed aliter Ciceronem de amic. c. 24, quem locum Quintilianus respexit, intelligendum esse, res ipsa loquitur. v. Gesner. ad Quintil. l. c.

42. *mulier quaedam*. Dixit *quaedam*, ut contemptum significaret. In Ad. 4, 5, 13 *habitant hic quaedam mulierculae pauperculae*. v. Heins. ad Vell. Pat. 2, 64.

43. *huc viciniae* eleganter dicitur pro in hanc viciniam. Plaut in Bacchid. 2, 2, 27. *proximae viciniae habitat* pro in proxima vicinia. Ter. in Phorm. 1, 2, 43. modo quamdam virginem vidi hic viciniae. v. Bentl. ad h. l.

44. *cognatorum negligentia*] Intelligendum ex legibus Atticis, quae proximos et ditissimos cognatos iubebant coguatam inopem vel ducere uxorem, vel dotare, ut maritum inveniret. v. Ad. 4, 5, 16 — 18, et Sam. Petitum de legg. Attic. p. 539.

45. *aetas integra*, ut recte explicat Donatus, est in flore constituta, cui neque addendum quid sit, neque quidquam sit imminutum. Eun. 3, 2, 20. quam liberali facie, quam aetate integra. Sueton. Cal. c. 25. Caesonia neque facie insigni, neque aetate integra, i. e. quae senescere iam incipiebat.

47. *vitam duriter agebat*, h. e. laboriosam vitam agebat. In Ad. 1, 1, 20 *parce et duriter se habere*. Contra in eadem fab. 3, 4, 56. *quam vos facillime agitis*, i. e. sine labore et in affluentia omnium rerum. (Sic βιοτη ῥηΐστη ap. Hom. Od. 4, 565 et alibi, praesertim de diis. Mirari licet, Ruhnkenium in hac annotatione graeca non saepius in subsidium vosasse. G.) *Vitam agere* est vivere. v. Ad. 1, 1, 20.

48. *lana ac tela*, i. e. lanificio ac textura. Apud veteres nobilissimas quoque mulieres lanam tractare, telam texere et vestes conficere solebant. v. Casaub. ad Sueton. Aug. c. 64 et 73.

quaerere et *quaeritare* habent significationem magni laboris et curae. v. Donat. ad h. l. Petron. c. 119. *quaerebantur opes*. De tali muliere eleganter Virgil. Aen. 8, 409. *femina, cui tolerare colo vitam tenuique Minerva impositum*.

49. *pretium*, mercedem stupri, ut in Ad. 3, 2, 51.

50. *unus et item alter.* Hanc locutionem de tribus intelligit Donatus, quod v. 60 trium amatorum fit mentio. Etiam Jo. Schulting. ad Sen. controv. 2, p. 173., Donati auctoritatem secutus scribit, *alter* de tribus dici posse. Sed Donatus haud dubie erravit. Nam postquam unus et alter amans accessisset, advenerunt plures. *Unus et alter* vel duos significat, ut ap. Ovid. epist. 15, 182 *et sub ea versus unus et alter erunt,* vel indefinite plures. Cic. ad Attic. 14, 18 *adductus sum tuis et unis et alteris literis;* et sic plerumque dicitur. v. Burman. ad Petron. c. 108, et ad Ovid. amor. 2, 5, 22. Eleganter quoque iunguntur *et item.* In Ad. 2, 2, 50 *emptae mulieres complures et item — alia.* Plaut. Casin. Prol. 49. *amat afflictam et item contra filius,*

52. *Conditio* in genere est pactio certam legem in se continens, ut bene explicat Donatus. Hinc eleganter etiam dicitur de pactione sponsalium sive nuptiarum. In Phorm. 4, 1, 13. *nam hanc conditionem si cui tulero extraneo.* Suet. Caes. c. 27 *Octaviam sororis suae neptem conditionem ei detulit;* quibus locis *conditio* capiendum pro sponsa, ut alibi *matrimonium* pro uxore. v. Drakenb. ad Liv. 3, 45. Nec tantum de licita coniunctione dicitur, sed etiam de amore meretricio et furtivo, ut h. l. Cic. pro Coel. c. 15 *hinc licet conditiones quotidie legas.* Suet. Aug. c. 69 M. Antonius Augusto obiecit *conditiones, quaesitas per amicos.*

52. *Quaestus* per excellentiam dicitur lucrum, quod sibi meretrix quaerit corpore vulgando. In Ad. 2, 1, 52 quando eum quaestum occeperis. Inde meretrices *quaestuariae* vocantur in lege 4 §. 2 Dig. de his, qui notantur infamia. v. Lindenbrog. ad h. l. et Binkershoek observat. iur. civ. 1, 25. — *Occipere* idem quod incipere est. v. interpretes ad Liv. 31, 50.

53. *ita ut fit*] i. e. ut mos et consuetudo est. Justinus 5, 1 *ita ut fit, quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat.* v. Bentl. ad Ad. 1, 1, 30, et interpretes ad Petron. c. 49.

55. *captus est certe! habet!*] pulcre vidit Donatus, formulam ab arena petitam esse. Nam quum gladiator retiarius mirmillonem reti involvisset, spectatores clamabant *captus est!* Quum irretito vulnus intulisset, *habet!* (sive, *hoc habet!* G.) sc. vulnus. Virg. A. 12, 296 *hoc habet, haec melior magnis data victima divis.* Flor. 3, 10 fin. *habes! fortem virum, vir for-*

tissime, vicisti. ubi vid. Graevium. (in meo apographo est: *habet!* Secutus igitur est Ruhnk. eo tempore, quo Beckmanus eum audivit, (anno 1774) quum Terentium explicaret, emendationem Ruperti, quam etiam Graevius probavit. G.) Inde venuste dicitur de eo, qui captus et deceptus est, sive de quo actum est. Sen. in Agam. v. 901 *habet, peractum est, pendet exigua male caput amputatum parte.* v. Gronov. Observtt. 2, 25, et quos laudat Brouckhus. ad Tib. 1, 5, 2.

58. *habuit* verecunde dixit pro concubuit cum Chryside. Cic. ad div. 9, 26 *ne Aristippus quidem erubuit, quum esset obiectum, habere eum Laida,* i. e. Laide ad arbitrium frui. Ovid. amor. 3, 12, 6 *cum multis vereor ne sit habenda mihi,* ubi v. Burmann.

59. *teneo,* i. e. scio, intelligo. 3, 2, 18 *teneo, quid erret.*

v. 62. *Symbola,* a gr. verbo συμβαλλειν, conferre, est pecunia, quae confertur ad coenam vel compotationem communi sumptu apparandam. *Collectam* vocat Cic. de or. 2, 57. Sic *de symbolis esse* in Eun. 3, 4, 2 significat communi sumptu coenare. Plaut. Stich. 3, 1, 28. *eo condixi in symbolam ad coenam* h. e. promisi me coenae adfuturum pro portione mea in sumptu. Qui nihil confert et gratis coenat, *asymbolus* dicitur, ut in Phorm. 2, 2, 25. (Lepide Plaut. Epid. 2, 1, 22. *sine meo sumptu paratae iam sunt scapulis symbolae,* ad verbera transtulit, quae quis non unius, sed plurium manibus accipit. G.) Cum *symbola* non confundi debet *symbolum* vel *symbolus* i. e. annulus, sive quodvis aliud solitum dari (arrae loco. G.) ei, qui coenam parat. (Etiam illa tessera, quae datur in contractibus loco praesentis pecuniae. G) v. Casaub. ad Athen. 3, 32.

63. 64. *nihil-quidquam*] Elegantèr *quidquam* abundat. Hec. 3, 3, 43. *Hic tibi nihil est quidquam incommodi.* Gell. 1, 3 *nihil esse quidquam commissum a me.* Sic voci *nemo* per pleonasmum additur *quisquam* vel *unus.* v. Drakenb. ad Liv. 3, 12.

64. *enimvero*] in initio orationis rem gravissime affirmat. In Andr. 1, 3, 1. *enimvero nihil loci est segnitiae.* Liv. 1, 51 *enimvero manifesta res visa,* ubi v. Drakenb.

spectatum] *spectare* est experimentis cognoſcere, perspicere. In Andr. 5, 5, 1. *satis iam, satis, spectata erga te amicitia mea.* Virg. A. 8, 151. *sunt*

animi et rebus spectata iuventus. ubi v. Serv. Locutio translata est a metallis, praesertim auro argentoque, quae igni cognoscuntur. Notissima illa Ovidii: *Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum, tempore sic duro est experienda fides.* v. Lambin. ad Hor. epist. 1, 1, 3. et Graev. ad Flor. 2, 7. p. 331.

66. *conflictatur*] hic non tam ad pugnam refertur, quam ad frequentem consuetudinem hominum vitiosorum, contra quorum contagionem velut pugnandum est, si corrumpi nolis. Sic bene explicat Gesner. in thes. ling. lat. voc. conflictus p. 1139.

68. *Habere suae vitae modum*, i. e. vitam suam regere, sive moderari. Donat. *modum* bene explicat *moderationem.* Cic. pro Marc. c. 1. *tantum in summa potestate rerum omnium modum*, ubi v. Graev.

69. *uno ore*] idem est quod in Hec. 2, 1, 4. *uno animo.* Barbari dicunt *unanimiter.* In Phorm. 4, 3, 20 *uno ore auctores fuere.* Virgil. Aen. 11, 132. *unoque omnes eadem ore fremebant.* Sic *una mente et voce.* Cic. in Philipp. 1, 9 *omnes iam cives de reipublicae salute una et mente et voce consentiunt. Unus* est *par*, vel *idem.* V. Heins. ad Ovid. Met. 10, 33.

omnes omnia bona dicere] Vir quidam doctus legere maluit *omnes omina bona dicere;* quam coniecturam merito repudiat Duker. ad Liv. 29, 10 (Tom. 4 p. 316 Drakenb., ubi Dukerus plures viros doctos laudavit, qui docuere *omina* et *omnia* innumeris locis permutari. G.) *Omnia bona dicere* est gratulari, felicem praedicare. Locutio ducta est a sacris, in quibus omnes mali ominis vitandi causa bona verba dicebant. Caeterum hanc usitatam esse formulam laudandi bonae indolis adolescentem docet Don. ad h. l. Ovid. Met. 4, 322 *qui te genuere beati, Et frater felix et fortunata profecto, Si qua tibi soror est et quae dedit ubera nutrix,* Petron. c. 94. *o felicem matrem tuam, quae te talem peperit,* ubi v. intpp.

70. *Fortunas*] Fortunae hic non de divitiis dicuntur, sed de sorte et conditione. V. Donat. Infra 3, 5, 5 *servone fortunas meas me commisisse futili;* in Heautont. 3, 1, 54 *me tuarum miseritum est fortunarum.* Notanda est huius loci constructio. Nam licet *fortunas* praecedat, tamen pronomen *qui* ponitur ac si praecessisset *fortunatum me.* Ovid. ex Ponto 3, 4, 91 *nec mea*

verba legis qui sum submotus ad Istrum. V. Burmann. ad Quinctil. declamat. 9. p. 191.

72. *quid verbis opus est*] hac formula veteres utuntur, quum, quod ante dixere, exemplo probant. V. Eun. 3, 5, 20; Phorm. 1. 2, 50.

73. *ultro ad me venit*] pulchre Servius ad Aen. 7, 268 docet, antiquis morem fuisse, sibi generos, quos spectati mores commendabant, legere; nam in tanta divortiorum frequentia sperabant eos firmiores maritos fore. V. infra 3, 3, 39 et Heautont. 5, 1, 63.

75. *dictus est dies*] *dicere diem* est diem certum statuere, constituere. In Eun. 3, 4, 4 *locus, tempus constitutum est. Praeteriit tempus; quo in loco dictum est, parati est nihil.* Caes. B. G. 5, 57 *iis certum diem conveniendi dicit.* Liv. 35, 3 *diem quem dixerat conveniendum militibus;* ubi v. Gronov. et Drakenborch.

77. *in diebus paucis quibus haec acta sunt*] i. e. post paucos dies, quam haec acta sunt. Sueton. Tiber. c. 60 *in paucis diebus, quam Capreas attigit.* Idem in Ner. c. 3 *in diebus paucis obiit.* Plerumque omittitur praepositio. V. Giphanium in Ind. Lucret. voce *in.*

78. *factum bene*] Hac formula veteres in rebus laetis utebantur. V. infra 5, 6, 5; contra *male factum* dicebant in rebus adversis. v. Phorm. 5, 1, 24. Catulli carm. 3, 16 *o factum male, o miselle passer!*

79. *beasti*] *beare* aliquem apud Comicos est, alicui grata sive facere sive dicere. — Eun. 2, 2, 48. *ecquid beo te.* v. Plaut. Asin. 2, 2, 66.

metui a Chryside] pro metui Chrysidem. Eadem constructione Liv. 23, 36 *ab Hannibale metuens;* ubi v. Drakenb.

ibi] significat *tum.* Infra 2, 3, 5. *ibi culpam in te transferet.* Liv. 2, 35 *ibi ira est suppressa*, ubi v. Duker. Sed hic per pleonasmum *ibi tum* coniunguntur. Infra v. 104. *ibi tum exanimatus Pamphilus.* Sic saepe iunguntur eiusdem potestatis particulae, ut *iam nunc* apud Liv. 31, 32; ubi v. Drak.; *itaque ergo* apud eundem 3, 31.; ubi v. Gronov.; *ita sic* apud eundem 2, 10.

80. *frequens*] pro frequenter. Adiectiv. pro Adverb. Liv. 1, 50 *conveniunt frequentes prima luce;* ubi v. intpp.

81. *curabat funus*] ut gr. κομίζειν, sic etiam lat. *curare* eximie dicitur in re funebri. Ovid. Fast. 5, 657. *displicet haeredi* mandati cura sepulcri. Curt. 10, 10 *iussi corpus Alexandri suo more curare*. v. Ern. ad Tac. hist. 5, 5. *Funus* est pompa funebris et quicquid ad exequias pertinet. Manil. 1, 886. *Cesserat officium morbis, et funera deerant Mortibus* (non, *mortuis*, ut est in Bruns. edit.) *et lacrimae*. v. intpp. ad. Sil. Ital. 1, 154.

84. *mortem fert familiariter*] quasi familiaris esset. Infra v. 109. reiecit se in eum flens quam familiariter.

(In notis ad v. 87. 89. 90 nullum est vitium; praeterquam quod ad v. 90 locus Demosthenis, qui legem Solonis funera spectantem tradit, negligenter affertur. Est is in orat. adversus Macartatum p. 608. 34 ed. Wolf., in ed. Reisk. Tom. 2. p. 1071. — Ad. v. 98 lin. ult. de discrimine verborum *percutere* et *percellere* egit Bentl. ad. Hor. Epod. 11, 2 (non epod. 5 init.) — Ad v. 99 locus Horat. est in epp. 1, 19, 141. (non 1, 20.) Sed plura notare in editione Brunsii vitiosa iam non vacat. Addam potius annotationem Ruhnkenii ad Heautont. act. 2 scen 1, 2 et 3, v. 1—74, quae in apographo, quod Brunsius edidit, deest. Quamquam enim non negem, lectores Terentii illa facile carere posse; malim tamen lacunam dictatorum magni viri, quum semel edita sint, supplere, quam relinquere. *Gurlitt.*)

Heautontimorumen.

Act. 2. Scena 1.

v. 5. *facili patre*, i. e. leni, benigno. Sueton. — *uteretur patre*, i. e. haberet patrem. Nep. Attic. 1, 2: *patre usus est diligente, indulgente* rel.

v. 8. *adbibit plus paullo*, i. e. quum paullo largius bibit. Terentium imitatur Gellius. (7, 7. *adprobus*, valde probus, *adprimus*, longe primus. G.) Sic apud Plaut. *adpotus* pro: potus.

v. 10. *surdo narrare fabulam* dicitur qui quid narrat allicui non attendenti.

v. 13. *suarum rerum satagere* est in rebus suis satis curae et laboris habere. Plaut. Bacch. 4, 3, 23: *Nunc agitas sat tute tuarum rerum.*

v. 15. *potens*, i. e. imperiosa, procax. Horat. ars poët. 116. *matrona potens.*

Procax, propr. est, quae multa poscit, a *procari*, i. e. petere. Unde etiam qui virginem in matrimonium petunt, *proci* dicuntur; 2) *procax* est impudens.

Magnifica. Magnificus affluentiam rerum significat.

Act. 2. Sc. 2.

v. 1. *de amore meo*; i. e. quod attinet ad amorem meum.

v. 3. versus vitiosus, quem ita emendat Bentleius: *concurrunt multa, opinionem hanc quae mihi exaugeant. Exaugere* est etiam in Plaut. Stich. 2, 1, 9 et 32 benefacta maiorum tuorum exauge. (Forcellin. verba, *quae mihi animum exaugeant* expl. mi accrescono il timore. G.)

mater mala, i. e. avara, periura.

dum moliuntur, i. e. dum magno labore apparant omnia ornamenta. Verbum *moliri* interdum absolute dicitur.

Act. 2. Sc. 3.

1. *sermones caedere* est confabulari. Locutio ducta est a Graecis, *κοπτειν λογους* et *κοπτειν ϱηματα*. (quod Nonius interpretatur *commiscere sermones*. Al. lg. *sermones serimus*. Quod quamquam latine dicatur, metro tamen adversatur. G.)

4. *impediti* eleganter dicuntur qui magnum habent comitatum, magna onera, multas sarcinas.

7. *vestem*, i. e. multas vestes.

9. *de spe decidi*, i. e. spe frustratus sum. Etiam omissa praepositiône dicitur: spe decidi.

25. *coniecturam cepimus*. Bentleius legit: *coniecturam fecimus*. Sed *coniecturam capere* dixit etiam Cicero Muren. 4. *coniecturam de tuo ipsius studio ceperis.*

35. *coniicere se aliquo* significat: raptim se conferre. Cicero pro Coel. c. 26 sub fin.: *coniicere se in fugam*. Mil. c. 19: *coniicere se in noctem*. Nepos. Them. c. 8: *in sacrarium — se coniecit*. Petron. c. 9. *in eum-*

dem locum me conieci. (Ib. c. 72 *coniiciamus nos in balneum.* Cf. et fragm. Petron. p. 673 ed. Burmann. G.)

39. *vitam exigere* dr. pro simplici: vitam agere. Virgil. Aen. 7, 776: *solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum exigeret.* Ovid Met. 12, 208. Sallust. b. Jug. c. 81 fin. (Ter. Hec. 3, 5, 40. ut reliquam vitam exigat cum eo marito. G.)

46. *anuis*, antique pro: anus.

47. *quae ornatur sibi*, non ut hae, quae amatoribus se ornant.

48. *nulla malam re expolitam muliebri.* Intelligit cerussam, purpurissum et alia eius generis, quibus mulieres utebantur ad decus faciei addendum.

49. *cap. prolixus.* Verissime emendat Bentleius: *capillus promissus.* Nam capilli proprie dicuntur *promitti.* Ovid. Trist. 4, 3, 34. *squallida promissis qui tegit ora comis.* Virg. Ecl. 8, 34. *promissa barba.* Liv. 5, 41. *barba ut tunc omnibus promissa erat.* (Ib. 2, 23, et 6, 16 capillum ac barbam promittere. G.)

50. *Pax.* est particula silentium indicantis, vel sermonem claudentis, Graecis etiam usitata.

51. *Ne me in laetitiam frustra coniicias.* Hunc locum imitatus est Propertius.

56. *sordidatam:* hoc verbum respicit verba *pannis obsita; sordidam* verba: *immunda illuvie. sordidus* est qui corpore neglecto et immundo est.

disciplina eleganter dicitur pro consuetudine et ratione agendi. Plaut. Merc. 1, 2, 6: *haec hic disciplina pessima est*, rel.

60. *affectant viam*, i. e. omnia tentant, ut aditus pateat. Cic pro Rosc. Am. c. 48: *quo iter affectet.*

64. *telam desinit*, i. e. ad aliquod tempus intermittit. Cic. Fam. 7, 1. med.: *libenter mehercule artem desinerem.* Ovid. A. A. 2, 725. ubi v. Heins. (sed in omnibus locis ab Heinsio ibi laudatis lectio inter *deserere* et *desinere* fluctuat, ut in hoc ipso Ter. loco. G.)

66. *scires* eleganter dr. pro: quisque sciret. (v. Ruhnk. ad Andr. 1, 1, 108. G.) *Desiderio tuo.* Frequentius dicitur cum Genitivo: desiderio tui. Ovidius A. A. 3, 682. Posse suo tangi credit amore Deas.

74. *hoc vide,* i. e. vide hominis audaciam. Est formula indignantis. *)

Ich habe die Ehre durch diese Schrift Einen hochweisen und hochedlen Senat, ein hochansehnliches Scholarchat, ein verehrungswürdiges kirchliches Ministerium, die hochachtbaren Bürgerlichen Collegien sammt allen anderen Freunden der Wissenschaften und ihrer Zöglinge zu den Schulfeierlichkeiten gehorsamst einzuladen, welche am Schlusse des Schuliahrs gewönlich sind. Ihre Anordnung ist folgende:

I. Bei der *Prüfung in der Gelehrten-Schule* am 15. April treten diesmal alle *Historischen Klassen* mit Beifügung einiger anderen auf, nachdem in den Prüfungen vor einem Jahre die Lateinischen und Mathematischen, und vor einem halben Jahre die griechischen Klassen aufgetreten sind; nämlich

Früh um 9 Uhr. 1) die erste und zweite Historische Klasse — Prof. *Strauch.* 2) die zweite Lateinische Klasse — Prof. *Zimmermann.* 3) die dritte Historische Klasse — Collab. *Kunhardt.* 4) die zweite Griechische Klasse — Prof. *Strauch.* 5) die vierte Französische Klasse — Dr. *Köstlin.*

---

*) P. 3 in nota dixi, me quid censores literarii de Brunsii editione huius annotationis Ruhnkeniae indicaverint, non meminisse. Interim indicavit mihi amicus, de ea censuisse Ephemerides universae literaturae Jenenses anni 1812. nu. 210, et Annales litterarios Heidelberg. a. 1812 fascic. 7 (mensis Julii) nu. 44 p. 689—695. Sed hi libri iam mihi non sunt ad manum. — Ceterum nemo putet, hunc meum et Heinrichii laborem omnio exiguum fuisse et levem. Nam et in meo quoque apographo multa perverse excepta sunt; loci autem ex scriptoribus veteribus allati omnes fuerunt evolvendi, quum saepe auctorum nomina nude posita sint. Et qui utramque editionem et Brunsii et nostram paucis modo paginis comparaverit, in una illius pagina saepe sexies et amplius erratum esse reperiet. *Gurlitt.*

Nachmittags um 3 Uhr. 1) die vierte Historische Klasse — Prof. *Zimmermann.* 2) die zweite Hebräische Klasse — Collab. *Kunhardt.* 3) die deutsche Geschichte — Prof. *Strauch.*

Nach diesen Prüfungen werden die Versezungen der Schüler in höhere Klassen und die Censuren aller Zöglinge aus den Konferenz-Protokollen vom Direktor bekannt gemacht.

II. Am 16. April früh um 10 Uhr werden die abgehenden Primaner Reden in folgender Ordnung halten.

1) *Ferdinand Johannes Witt*, aus Altona, beantwortet in einer deutschen Rede die Frage, *was höhere Tugend sei und wie man zu ihr gelange.*

2) *Eduard Grape*, aus Hamburg, spricht über Schillers Worte: *zwei Dinge führen zum Himmel, wirke und dulde*; in deutscher Rede. Dieser Jüngling, der 20 Jahre alt ist, war acht Jahr unser Schüler; und zwar nur ein und ein halb Jahr Primaner; aber er wird dagegen noch unser Gymmasium vor dem Abgange zur Universität besuchen. Er widmet sich dem Studium der Arzneiwissenschaft.

3) *Johann Elias Münster*, aus Hamburg, hat zum Gegenstande seiner deutschen Rede, *die Hofnung und Erinnerung, als zwei grosse Quellen menschlicher Freudigkeit*, gewält. Er ist im zwanzigsten Jahre und war unserer Schule 6½ Jahr vertraut. Primaner war er auch nur ein und ein halb Jahr; er geht aber ebenfalls erst auf unser Gymnasium. Auch er wird die Arzneikunde studiren.

4) *Carl Graf von Moltke*, aus Kiel gebürtig, Sohn des auch als Schriftsteller rümlich bekannten Herrn Grafen *Adam Moltke*, handelt in einer lateinischen Rede *von den drei grossen Befreiern ihrer vaterländischen Staaten, Thrasybulos, Pelopidas und Timoleon.* Er ist 18 Jahr alt, und studirte bei uns 2½ Jahr als Mitglied der ersten Klassen in allen Sprachen und Wissenschaften. Er geht zur Akademie nach Heidelberg ab; wo er die Rechtsgelehrsamkeit und die Staatswissenschaften sicherlich mit eben dem Ernst und der Gründlichkeit studiren wird, mit welcher er bisher die Schulwissenschaften getrieben hat. Da er mein Hausgenosse war, so habe ich ihn von mehren Seiten kennen gelernt, die mir die unablässige Fortsezung seines Strebens

e) Noch besonders muss ich anführen, [illegible] gute Zustand der [illegible] die Ordnung, [illegible] eingen [illegible] Herren Professoren [illegible] Collegen Paul, auch hauptsächlich den Herrn [illegible] [illegible] [illegible]

g) [illegible] dass [illegible] Jahre an, [illegible] Vorstande, als könne und wolle man sie bis zu [illegible] in Privat-Lehranstalten zu lange aufgehalten [illegible] muss der Grund zur [illegible] und [illegible] werden [illegible] d. h. [illegible] wo [illegible] gelehrte Studien [illegible] wo die [illegible] [illegible] weiter [illegible] Vorsichten von [illegible] eines sicherlich [illegible].

[illegible]

Hamburg, am [illegible]